



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

VIII. Octingenta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## CENTURIO. CAP. XIX.

**A**C, ne lene quid attigisse videamur, eadem trapezitarum nota in plerisque veterum monumentis <sup>Nota 7<sup>a</sup></sup> adsculpta, centurionis signum habebatur. Ostendit mihi Romæ vetustum admodum monu- <sup>Centurio</sup> mentum ex marmore Thomas Petrosanctus, vir antiquitatum huiusmodi studiosissimus: in quo <sup>& n<sup>o</sup> signum.</sup> signum id incisum, erat, & verba rem interpretantia, in hunc modum addita.

## SIGNUM CENTURIONIS, 7. CAP. XX.

**E**T Bononiæ inscriptionem vidimus ad C. Petronii ædem, in qua signum idem eodem significato incisum spectatur. Romæ etiam apud Paulum Cæsium Cardinalem inscriptionem vidi ejus notæ, quæ sic incipit:

M. POMPEIO. M. F. ANIASPRO 7. LEC. XV.

APOLLINAR. 7. COH. III.

& quæ multa ibidem insculpta sunt militaria, de quibus in Armorum commentario abunde meminimus.

## DEUS. CAP. XXI.

**N**ON erat autem otiosum Septenarii nomen, quod hieroglyphicum esse Dei Philolaus asseverat: <sup>Septenarii numeri</sup> quippe quod ea sit ejus numeri prærogativa, ut ipse sibi similis, alter ab aliis sit, veluti Deus, dux <sup>prærogati-</sup> & princeps universorum solus, semper singularis & immobilis. Inter enim ea, quæ intellectu perci- <sup>va.</sup> piuntur, septenarius sine motu est, neque quicquam patitur. Nam alii numeri partim generant non geniti, partim generantur, cum minime generent: alii utrumque; obeunt munus, solus vero septenarius utriusque conditionis immunis. Unitas quippe à nullo profus genita, numeros omnes quotquot habentur, generat. Octo vero generantur à bis quatuor, nullum autem generant. Nam numeri hic infra denarium intelliguntur. At quaternarius eorumdem, & parentum & liberorum jus obtinet, octonarium quippe gignit, à bis duobus ipse genitus.

## PALLAS. CAP. XXII.

**Q**UORUM cum nihil accidat septenario, quod sine matre sit, quodque virgo Palladi assimilatur, & quorundam symbolico hoc utentium idiomate mos fuit summi Dei sapientiam vocabulo signoque; Palladis interpretari: quanquam ubi figuras mathematicas aliquot hoc commentandi genere declaravimus, ternarium & quæ septenarius significata habeat in Divinis literis, dicenda sunt hic satis fuerit pauca hæc attigisse.

## OCTO OCTINGENTA. CAP. XXIII.

**M**EDIUS itaque auriculari adjectus, ita ut una cum eo extremam volæ partem apprimat, octonarii numeri hieroglyphicum erit in læva: in dextera octies centena recensita indicabit.

## IX. CM. CAP. XXIV.

**M**EDIUS demum ad extremam palmæ volam, una cum duobus inferioribus applicatus, ita ut totam obtegant, novem in sinistra constituit, in dextera novies centena.

## MULTITUDO, CAP. XXV.

**E**ST etiam novenarius ipse numerus hieroglyphicus: quippe qui se non intra cutem contineat, sed <sup>Novenarius numerus.</sup> effusus plurimos significet, quod Theon observat in Arati carmine, *ένναγήρα κορώνη, non quod novem, inquit, ætates vivat, sed quod perquam diu, ut Tibullus.*

*Vivere Cornices multos dicuntur in annos.*

Apud Nicandrum *έννακέβη* egov leges, pro, aliquot præditum aculei. Idem *ένναδέστωας σφονδύλης* in Scorpii cauda ponit, cum septem tantum in ea compages enumerentur. Pro multis igitur novem posita interpretes agnoscunt, de quo satis in Scorpii commentario. Quin & Alcæus Hydram *έννακέφαλον* eadem ratione dixit, cum Simonides eam *πεντηκοιτακέφαλον* tradat. <sup>En. lib. 6.</sup> Quem imitatus Maro, ita super ea:

*Μημ 2*

*Quin.*